



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. III. Quid agendum præsentē Venerabili Eucharistia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

*a Domine, si vis, potest me mundare.  
Tantum dic verbo, & sanabitur anima  
mea. b*

## §. III.

*Quid agendum presente Venerabili  
Eucharistia?*

**V**bi allata fuerit Venerabilis Eucharistia, si infirmitas valetudinis ullo modo permiserit, assurgat illicò, & ingenua provolutus, illam, quam poterit humillime adorabit.

Quòd si morbi gravitas nullo modo patiatur ut æger surgat è lectulo, assurgat saltem si possit, inclinatisque cervicibus Deum suum præsentem veneretur.

Sæpè visus est Dominus Deus, morituris vires addere, ut in illo supremi temporis articulo, suum in illum amorem religionemque palam facerent. Id aperte testatus est S. Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis,

*a Matth. 8. b Luc. 7.*

ēensis, qui, licet animam agere videretur, simul atque Deum Creatorem suum ad se adire cognovit non sine circumstantium admiratione, perinde quasi febris ac morbus jam omnis remisisset, de strato profiliens, concito gradu Servatori suo processit obviam, illumque flexis reverenter humi genibus, totusque lacrymis diffusus, quantā potuit animi corporisque demissione veneratus est, instantemque illi agonem suum commendavit.

Non ab similibus D. Hieronymi, in Deum suum ad se advenientem pietas & religio. Incredibile memoratus, quantis & ipse lacrymis suspiriisque ad Dei sui præsentis copiam anhelaret. De grabatulo suo & ipse festinus in terram desiliit, ibique sine molli culcitra, sine stragulis collocatus, cilicio suo dumtaxat operiri voluit, tum procumbens in genua, diras illas pectoris tunctiones crebrò repetens, jugi lacrymarum imbre madidus, cœleste viaticum accepit, Christum-

stum-

Humque sibi peregrinationis suæ  
comitem adjunxit, dicens: *a* Cur nunc  
*tantum* te humilias, ut pariaris a homi-  
nem descendere Publicanum & peccato-  
rem, & non solum cum illo manducare  
vis, sed te ipsum manducari ab illo jubes.  
Videbant nempe, Sancti illi, quas nos  
non videmus, abditas in Venerabili  
hoc Sacramento, opportunitates.

Afferri poterunt etiam exempla  
Sanctorum, qui avidè muniri hoc  
viatico expetierunt.

Agmen ducat Regina Sanctorum  
omnium, quæ hinc ad cælum emi-  
grare noluit, nisi cælesti hoc viatico  
probè instructa, cujus votis filius e-  
jus, Sacerdos & hostia, subscriben-  
dum existimavit.

Neque Sancta Maria Magdalena,  
admonita ad Cælum peteret, itine-  
risque duces Angelos sequeretur,  
iter illud ante ingredi noluit, quàm  
Dominum Angelorum comitem ha-  
beret: quare S. Maximinum Massili-  
ensem Episcopum accersendum cu-  
ravit,

*a* Euseb.

ravit, ut ab eo sacra synaxi impertiretur.

Ajunt Apostolorum Principes Petrum & Paulum, sacrum hoc viaticum ad Divum Joannem Chryso-  
stomum attulisse.

Quid dicam de nobili illo Medio-  
lanensium Præfide Ambrosio ? qui  
cum divinisimum hunc panem desi-  
deraret avidissime, neque deside-  
rium præ morbi magnitudine aperire  
posset, ecce tibi Honoratus Vercel-  
lensis Episcopus, nocte concubia di-  
vinitus admonetur, ut ejus æstuan-  
tissimo desiderio, allatâ Venerabili  
Eucharistiâ, faceret satis.

Non absimilem gratiam à D. Bar-  
bara, quam sibi tutelarem delegerat,  
obtinet B. Stanislaus à Kostka So-  
cietatis Jesu.

Taceo de aliis, quibus omnibus  
percensendis, Annales  
bene multi, vix  
suffici-  
ant.

§.IV.